

semper fuerit in actu secundo quoad omnia objecta; neque enim perfectio debita naturae humanae postulabat, ut semper actu omnia cognosceret, sed tantum pro loco, & tempore. Quia tamen a corpore, & phantasmatis independens erat, nec cederet actualitati scientiae Angelicae, videtur, quod ab instanti conceptionis fuerit semper in actuali cognitione quorundam objectorum, corpore licet ac sensibus quiescentibus, seu aliò iotentis.

Quaeritur 5. Utrum scientia infusa in Christo fuerit distincta per diversos habitus? R. quod, (Ibid. art. 6. o) licet scientia Christi infusa sit una genericè, tamèn distingatur in habitus specie diversos: quia, ut iam dictum est, recipit species in minori universalitate, quam Angeli, ita scilicet, quod diversas naturas específicas per diversas species intelligeret: in Christo autem, sicut in nobis, diversificatur habitus scientiarum secundum diversa genera scibilium.

DISSERTATIO XII. DE SCIENTIA CHRISTI ACQUISITA.

Div. Thom. Quaes. 12.

ARTICULUS I.

Utrum scientia per se acquisibilis fuerit in Christo, & quando An infusa per accidens, an propriis actibus acquisita?

Scientia per se acquisibilis dicitur, quae per se, & connaturaliter petit actibus nostris acquiri, licet per accidens possit a Deo infundi, qualiter v. gr. Adamo fuit infusa. Observandum, (Hic q. 9. art. 4. ad 3.) scientiam per se infusam naturalem, de qua praeced. Dissert. non solum differre ab hac scientia per se acquisibili, de qua nunc, ex parte causae efficientis, quia una a Deo solo infunditur, altera ab homine acquiritur; sicut homo creatus, & homo natus inter se differunt; sed etiam essentialiter, & specificè, quia, licet versentur circa eadem objecta materialia, non tamèn circa idem objectum formale. Objectum enim formale scientiae per se acquisibilis est quidditas rei materialis ut abstracta a singularibus, & proportionata phantasmatis, in quibus reduct. Objectum verò formale scientiae per se infusae est quidditas nodum rei materialis, sed etiam immaterialis, non ut abstracta, sed ut concreta singularibus, nec secundum proportionem phantasmatum. Unde fit, quod per scientiam per se acquisibilem directè tantum cognoscatur universale materiale, non singularia, non Angeli, non supernaturalis, nisi indirectè, & ad modum rerum corporearum. Per scientiam autem per se infusam cognoscuntur directè, & quantum est ex suo genere, substantiae universales, & singulares, materiales, & immateriales, earumque proprietates, & accidentia.

Dico 1. (Ibid. o.) Fuit in Christo scientia per se acquisibilis. Prob. Conveniens fuit, ut omnis potentialitas animae Christi naturalis reduceretur ad actum; atqui anima Christi erat in potentia connaturali ad scientiam per se acquisibilem non minus, quam animae aliorum hominum, quibuscumque est ejusdem speciei: ergo. Confirm. Scientia beata fuit in Christo, quia erat in potentia ad intelligendum modo divino fuit; & scientia per se infusa, quia erat in potentia ad intelligendum modo Angelico: ergo, & fuit in eo scientia per se acquisibilis, quia intelligat modo humano.

Dices 1. Christus per scientiam infusam per se cognoscit omnia, quae cognoscere potest per scientiam per se acquisibilem: ergo haec superfluit. R. D. Ant. Christus per scientiam per se infusam cognoscit omnia, quae cognoscere potest per scientiam per se acquisibilem, sed non omni modo quo cognoscibilia sunt, C. Ant. & omni modo quo cognoscibilia sunt, N. Porro ad perfectionem intellectus Christi spectat non solum omnia cognoscere, sed omnia cognoscere omni modo, quo sunt cognoscibilia: sunt autem cognoscibilia, & in Verbo, & extra Verbum per species per se infusas ab ideis divinis exemplatas, & per species a phantasmatis abstractas. Unde, sicut ad primum ponitur in Christo scientia beata; ad secundum scientia per se infusa, ad tertium debet poni scientia per se acquisibilis.

Dices 2. Dux formae solo numero distinctae non possunt esse in eodem subjecto; atqui scientia per se infusa, & per se acquisibilis solo numero differunt, differunt enim tantum ex parte causae efficientis: ergo. R. N. Min. & ejus probat. Patet ex observatione, praemissa Conclusioni.

Dico 2. (Ibid.) Scientia per se acquisibilis fuit in Christo propriis actibus acquisita. Contrarium, quod olim docuerat Auctor in 3. sentent. d. 14. q. 3. art. 3. expressis terminis hic retractat. Probat. (Ibid.) Si Christus scientiam per se acquisibilem habuisset infusam, intellectus ejus agens fuisset otiosus, & frustraneus ad proprium, & praecipuum suum actum, qui est secundum statum, in quo productus est, debitus, & connaturalis erat; atqui hoc est inconveniens: ergo. Patet Min. tum quia secundum vulgare axioma Damasceni: Verbum assumpsit quiddid in natura plantavit, nequàm quoad substantiam

nam, sed etiam quoad modum connaturalem: tum quia valde inconveniens foret, quod potentia animae Christi perpetuò maneret frustrata proprio ac sibi debito, atque connaturali actu secundum statum suum. Prob. ergo Maj. Christus non est productus secundum humanitatem in statu perfectionis, sicut Adam in prima creatione, sed juxta commune statum, & cursum naturae; atqui, sicut juxta illum statum conveniebat corpori, quod parlatim cresceret per actum virtutis augmentativae, ita & animae, quod paulatim proficeret in cognitione naturalium per actum intellectus agentis, qui est abstrahere species rerum intelligendarum a phantasmatis; & hoc utrumque conjungit Evangelista, dicens: Et Jesus proficiebat etate, & sapientia. Ergo. Confirm. (Ibid.) Christo convenit non solum habere omnes scientias, sed eas etiam habere omni modo connaturaliter possibili, & convenienti, atqui Christo conveniebat habere scientiam, non solum modo divino per scientiam beatam, nec tantum modo Angelico per infusionem, sed etiam modo humano per acquisitionem: ergo.

Solvuntur Objectiones contra 3. Conclusionem.

Obj. 1. cum Scoto: Intellectus agens non fuit frustratus in Adam nec remanet frustratus in Beatis; atqui nec in Adam, nec in Beatis abstrahit species a phantasmatis: similiter vis augmentativa, seu nutritiva non est frustrata in Beatis, licet tamèn non reducatur ad actum: ergo corrumpit praecipua ratio D. Th. pro Conclusionem nostra. Confirm. Officium intellectus agentis non est solum abstrahere species, sed etiam illustrare principia, ut illis utatur ad conclusiones; atqui supposita infusione scientiae per se acquisibilis in Christo potuisset hunc actum exercere: ergo non fuisset frustratus. R. D. Min. Atqui nec in Adam, nec in Beatis abstrahit species a phantasmatis, & ille actus debitus & connaturalis erat secundum statum, in quo fuit creatus Adam, & in quo sunt Beati. N. Min. & ille actus non erat debitus, & connaturalis secundum eum statum, C. Min. & N. Conseq. Vis ergo rationis D. Th. non fundatur in hoc, quod intellectus Christi absolute foret frustratus, sed frustratus respectivè ad connaturalem modum operandi juxta commune cursum & statum, in quo Deus eum produxit: id enim dicitur frustratus quod caret actu sibi debito pro statu, & tempore. Cùm ergo Adam fuit creatus in statu perfectionis, illi pro hoc statu non erat debitus actus abstractionis a phantasmatis, quo cresceret, & proficeret in scientia; adeoque nec frustratus in ipso fuit intellectus agens, utpotè qui non curavit actu sibi debito pro hoc statu. Idem dicendum de Beatis, qui non sunt in statu acquiriti scientiam, nec crescendi secundum corpus. Hinc patet solutio ad confirm. D. enim Conseq. Ergo non fuit frustratus quoad omnem actum, C. quoad praecipuum actum sibi debitum pro statu, & tempore, N.

Obj. 2. cum Suarez, & Henno. Debemus a Christo omnem imperfectionem remove; atqui, si scientiam praefatam successu temporis, & per proprios actus comparasset, fuisset in eo vera imperfectio: ergo. Prob. Min. 1. Habuisset pro tempore antecedenti rerum aliquarum ignorantiam. 2. Potuisset ab homine magis studio incumbente superari. 3. In scientia per se acquisibili fuisset miserior Adamo, qui ab initio creationis eam habuit infusam: ergo. R. 1. retroquendo argumentum in adversarios; qui docent, Christum successu temporis acquisivisse scientiam experimentalem. R. 2. ad singula, Ad 1. habuisset pro tempore antecedenti rerum aliquarum ignorantiam quoad objecta, N. quoad modum, Subd. Et illa ignorantia erat privativa, N. non enim pro hoc statu debet debetur: Et erat negativa, C. Adèdque ceteri non debet imperfectio, sicut nec erat imperfectio quod in etate infantili Christus loquela careret, quia permittebat naturae agere, quod cuiusque status proprium est. Ad 2. N. Ant. Quia fuit in Christo ingenium longè acutius, & excellentius

rius, quam in quolibet homine. Ad. 3. N. iterum Ant. tum quia Adamum in infaniam superavit per scientiam beatam, & infusam; tum quia Adæ creatio in caput naturale hominum in statu perfectionis conveniebat scientiam naturalem ab initio habere; non autem Christo productio secundum commune cursum in statu imperfecto, & etate infantili.

Inst. Christus fuit etiam productus ut Doctor hominum: ergo. R. ut Doctor in supernaturalibus, C. in naturalibus, N. Juxta illud Joann. 3. Qui de terra est, de terra loquitur. Qui de caelo venit, super omnes est. Et quod vidit, & audivit, hoc testatur. Vel fit supra: ut Doctor in statu perfectionis, N. in statu imperfectionis, C. Iterum dato Ant. N. Conseq. Quia ratione scientiae beatæ, & infusae superabundantem omnium scientiam habebat ad officium Doctoris, quod de Adamo dici potest.

Obj. 3. cum idem, Christus ab initio suae conceptionis habuit per accidens infusus omnes virtutes morales per se acquisibilis: ergo & omnes virtutes intellectuales per se acquisibilis. R. N. Conseq. ob duplicem disparitatem datam supra, dum de gratia habituali Christi, inter virtutes morales, & intellectuales: prima, quod morales reddant simpliciter bonum secundum quid. Unde magis imperfectum foret moralibus aliquando carere, quam accrescere perfectionis eas acquirendo; e contra vero non plus derogat dignitati Christi virtutibus intellectualibus aliquando carere, quam ei accrescat ex connaturali earum acquisitione. Altera data disparitas est, quod posita infusione scientiarum naturalium intellectus privaretur actui sibi debito connaturaliter secundum praesentem statum, in quo productus est, scilicet abstractione specierum a phantasmatis; scis autem posita infusione virtutum moralium, quia iisdem actibus virtutes semel habitae exerceantur, quibus acquiruntur.

Obj. 4. cum idem. Ex nostra sententia sequitur, quod scientia per se acquisibilis in Christo fuerit valde imperfecta, & scientia Adam longè inferior; atqui; & ergo. Prob. Maj. Scientia acquisita ea ignorat, quorum species non potest sensibus comparari; atqui multa sunt, quorum species non potuit Christus sensibus comparare, ut sunt virtutes Coelorum, quae latent in abyssis maris, aut visceribus terrae: dicere enim haec ad sensus Christi ministerio Angelorum fuisse adducta; vel Christum ad illa, fingere est, & sine fundamento miracula multiplicare: ergo. R. 1. N. Maj. ad prob. D. Maj. Scientia acquisita ea ignorat, quorum species non potest sensibus comparare, & haec pertinent ad cognitionem scientificam, N. & haec pertinent ad cognitionem experimentalem, C. Similiter D. Min. Multa sunt, quorum species non potuit Christus sensibus comparare; & haec sunt individua singularia, quae pertinent ad scientiam experimentalem, C. & haec sunt quidditates rerum, quae pertinent ad cognitionem scientificam, Subd. Si agatur de speciebus immediatis, C. mediatas, N. Potuit enim Christus propter viam excellentissimum ingenii, ex aliquibus speciebus immediatis circa quasdam rerum essentias ulterius circa alias quidditates deducere, cognoscendo scilicet effectus pro causis, causas pro effectus, similia per similia, contraria per contraria; & hoc est connaturale scientiae acquisitae, quae de se inclinatur ad cognoscendum plura per discursum, & formando quidditativam cognitionem unius ex alio; nec probari potest, Adamum aliter scivisse. Hinc S. Th. hic q. 12. a. 1. ad 2. ait: Quod, licet non fuerint Christi sensibus subjecta omnia sensibilia, fuerunt tamen subjecta sensibus ejus aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimum vim rationis ejus potuit in aliorum notitiam devenire. Unde inferes, hanc Christi scientiam non fuisse imperfectam intra genus suum, cum de ejus ratione sit esse discursivam, & ex uno immediatè intellecto aliud discursivè deducere: in quo valde hallucinantur Auctores oppositae sententiae. R. 2. intelligendo de singularibus, non etiam fuisse imperfectam scientiam acquisitam Christi, nec inferiorē scientiae Adæ; tum quia, ut dictum est ex D. Th. ex quibusdam immediatè representatis etiam singularibus potuit alia colligere; tum quia uti potuit ministerio Angelorum, ut sensibus adducerentur illa objecta, quae magis convenientia erant, ut ex illis alia dignoscerentur: neque id gratia dicitur. Sicut enim corpori ministrarunt Angeli adducendo cibos in deserto, & sicut primo homini adducta sunt omnia animalia, ut nomen illis imponeret; quidni eorumdem Angelorum ministerio Christo adducerentur singularia, non quidem omnia, sed quae Christus judicabat expedire, ut ex eis alia colligeret, haberetque scientiam perfectam, nec scientia Adæ inferiorior?

Obj. 5. Omnis perfectio non repugnans fini Incarnationis debet tribui Christo; atqui habere scientiam infusam ab initio est perfectio, quae non repugnat fini Incarnationis: ergo R. D. Maj. Omnis perfectio non repugnans fini Incarnationis, nec aliud inconveniens involvens debet, & c. C. si aliud inconveniens involvat, N. Unde ad Min. dico, inconveniens esse, quod Christus ab initio habuerit scientiam acquisitam; tum quia intellectus

ejus agens fuisset frustra quoad praecipuum ejus actum; tum quia fuit Christo connaturale pro statu communi, in quo fuit productus, ut propriis actibus, & successivè scientiam acquireret; tum quia perfectus est habere aliquid per se, quam per alium, maxime si carentia illius non praeponderet perfectioni, quae accrescit ex illius acquisitione, ut contingit in praesenti casu, sicut patet ex dictis. Pro cuius, & aliarum instantiarum clariori intelligentia advertit, hoc inter perfectiones supernaturales, & naturales in Christo esse descrimen; quod in supernaturalibus attendatur proportio cum unione hypostatica, & ideo statim, & cum omni plenitudine sunt infusae: in naturalibus verò attenditur proportio cum natura humana, & modo ordinario, quo solent acquiri, ut hinc magis eluceat veritas naturae humanae in Christo.

Obj. 6. Non deceat Christum accipere scientiam ab Angelo vel homine docente: ergo nec a rebus sensibilibus. R. N. Conseq. (Hic q. 12. art. 3. ad 2.) Nobilius est enim accipere scientiam a sensibilibus, quam ab Angelo, vel homine docente; quia, ut dicit Auctor; ille, qui addiscit ab homine, non accipit immediatè scientiam a speciebus intelligibilibus, quae sunt in mente ipsius, sed mediantibus vocibus sensibilibus tanquam signis intelligibilibus conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatae sunt signa intellectualis scientiae ipsius, ita creaturae a Deo conditae sunt signa sapientiae ejus: sicut igitur dignus est doceri a Deo, quam ab homine; ita dignus accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam. Adde, quod, licet Christus hauriret species a sensibus, non tamèn ab ipsis addiscebatur proprie, quia eas acquirendo ipse se dirigebat, & eas ordinabat ex scientia superiori.

ARTICULUS II.

Expenduntur brevitè aliae difficultates ex quatuor articulis Quaesitionis 12. D. Thomae.

Quaeritur 1. Utrum Christus per scientiam acquisitam omnia cognoverit? R. (Ibid. art. 1. o) Christum per eam scientiam scivisse, non quidem omnia simpliciter, quia non possunt omnia cognosci per species abstractas a sensibus, sed omnia, quae per actionem intellectus agentis cognosci possunt, quia fuit excellentissima vis ingenii Christi. Nec obstat, ut recitè advertit hic Sylvius, quod nec litteras didicerit, nec Philosophorum libros revolvent, nec omnium imò nec plurimorum experientiam habuerit; tanta enim erat vis animae ejus, partim naturalis, partim ex lumine adjuncto scientiae beatæ, & infusae, ut ex rebus, quas experiebat, colligere posset species, & cognitionem aliorum, ut iam diximus art. praeced. nec distraheretur, vel impediretur a consideratione unius rei per aliam, sed sic poterat intendere pluribus, ac si tantum occuparetur circa unam.

Quaeritur 2. Utrum Christus in hac scientia profecerit? R. (Ibid. art. 2. o) Christum in ea scientia profecisse, & quantum ad habitum, & quantum ad actum, ita ut per actionem intellectus agentis paulatim species abstraheret, quarum accessu habitus ipse perficiebatur. Patet ex dictis a. praec. hanc enim scientiam acquisivit Christus studio, & specieum abstractione sicut alii homines. Unde dicitur Luc. 2. quod Jesus proficiebat sapientia, & etate, & gratia apud Deum, & homines; quod de scientia acquisita intelligit Ambros. libr. de Incarnat. Dom. c. 7. & D. Thom. hic in arg. s. c. Porro inceptit (Ibid. ad 3. & 4.) Christus hanc scientiam acquirere, cum primùm coepit uti ratione modo aliis hominibus connaturali, & semper habuit omnem scientiam, seu omnem scientiae perfectionem singulis etatibus accommodatam, ita ut nunquam aliquid ignoraverit etiam secundum scientiam acquisitam eorum, quae secundum tempus, & locum ipsi conveniebat.

Quaeritur 3. Utrum Christus aliquid ab homine, vel Angelo didicerit? R. negativè: (Ibid. art. 3. & 4.) quia non erat conveniens Doctorem a Discipulis edoceri; Christus autem erat Doctor, & hominum, & Angelorum. Unde cum Christus, vel ab Angelis, vel ab hominibus aliquid audiebat, non ideo ab illis illuminabatur, quasi illud nesciret, sed habebat se instar Magistris, cui Discipulus ex libro legit id, quod prius sciebat.

Dices: Luc. 22. legitur, Christum fuisse ab Angelo confortatum: sed illa confortatio non videtur aliter potuisse fieri, quam proponendo rationes, quae dolorem lenirent, quod est Christum fuisse confortatum quasi per societatem, & compassionem, eo modo quo ex praesentis, & colloquio amicorum homo naturaliter subleatur in tristitia, & afflictionibus, juxta illud Ps. 68. Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non invenit. Addi potest, quod, cum corpus Christi reversum fuerit debilitatum, se sanguine madens, Angelus confortaverit

ipsam, vel sanguinem abstergendo, vel aliquo sensibili modo corpus fovendo: licet enim id Christus per seipsum facere potuisset, potuit tamen etiam ad id ministerio Angelorum uti, ad

maorem carnis assumptæ manifestationem, quo sine voluit a matre nutriti, & gestari. Ita Cajetan. hic art. 4. & Joannes a S. Thom. q. 12.

DISSERTATIO XIII.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI.

D. Thom. Quæst. 13.

ARTICULUS I.

Utrum humanitas Christi haberet omnipotentiam simpliciter?

Suppono 1. Christum per communicationem idiomatum esse, & dici simpliciter omnipotentem, omnipotentia scilicet divina, sicut est, & dicitur simpliciter Deus. Sed difficultas est, utrum vi unionis hypostaticæ receperit in se intrinsecè virtutem aliquam activam; quæ sit omnipotentia simpliciter. Dico simpliciter; quia suppono 2. habuisse omnipotentiam secundum quid, id est, excellentem virtutem activam in ordine ad illa omnia, quæ necessaria erant ad finem Incarnationis. Quæstio est ergo de omnipotentia simpliciter, & omni modo; utrum fuerit communicata Christo? Quidam de grege Lutheranorum, dicit Ubiquitatem a sua hæresi, tuerent partem affirmativam; dicunt enim, humanitatem Christi ita esse Verbo unitam, ut sit ubique sicut ipsa divinitas, similiter æterna, & omnipotens. Undè existimant, potentiam humanitatis Christi esse ipsam Verbi omnipotentiam, ipsi ut homini formaliter communicatam, ita ut Christus etiam ut homo sit omnipotens simpliciter. Contra quos

Dico: (Hic q. 13. art. 1. o.) Humanitas Christi non habuit, nec habere potuit omnipotentiam simpliciter. Prob. (Lid.) Omnipotentia simpliciter est solius Dei proprietas; atqui in unione hypostatica naturæ manserunt intactæ, & impermixtæ cum suis proprietatibus: ergo. Min. patet ex dictis contra Eutychem. Prob. Maj. potentia activa sequitur ad naturam, & ipsi proportionatur ut ejus proprietates; in tantum enim aliquid agit, in quantum est in actu, est autem in actu per formam, quæ vel est natura, ut in naturis simplicibus, vel constituit naturam, ut in naturis compositis: atqui potentia activa omnipotens simpliciter soli naturæ divinæ proportionatur, & ad eam sequi potest ut proprietates: ergo. Prob. Min. Omnipotentia simpliciter, id est, quæ se extendit non solum ad omnes effectus posibles, sed etiam perfectissimo modo ad omnes modos posibles (nisi enim hoc habeat, non erit omnipotentia simpliciter) proportionari non potest nisi naturæ, cujus esse est incircumscriptum, illimitatum, & infinitum in ratione entis; atqui talis est sola natura divina: ergo.

Confr. 1. Omne, quod a superiori derivatur, recipitur in inferiori modo imperfectiori; quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Hinc, licet visio Dei, quæ est ipsi propria, communicetur creaturæ, non tamen communicatur infinito modo, ergo, si omnipotentia simpliciter, quæ est propria Deo, communicetur humanitati Christi, reperietur in illa inferiori modo, nec in sua tota latitudine, adeoque nec omnipotentia simpliciter. Conf. 2. Omnipotentia simpliciter attingit omne factibile implicationem non involvens; atqui id competere non potest humanitati Christi: ergo. Prob. Min. Humanitas Christi non potest creare saltè ut causa principalis, neque etiam potest causare seipsam: ergo.

Dices 1. Matth. 11. dicit Christus ipse: Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: &c. ult. Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra; atqui omnis potestas est omnipotentia: ergo. R. hæc, & similia loca intelligenda esse de Christo per communicationem idiomatum, ita ut, sicut homo dicitur Deus, ita etiam dicitur omnipotens. Dicit autem, hanc potestatem sibi datam post resurrectionem, quia tunc potissimum virtus ejus enituit. Dicitur enim, juxta phrasim Scripturæ familiarem, rem tunc fieri, quando innovescit. Possunt etiam intelligi hæc verba de Christo homine quoad potestatem excellentiæ, quam habuit ad regendum, & imperandum in ordine ad prædicationem Evangelii: undè loco ultimo citato statim subjungitur: Venies ergo docete omnes gentes, &c. Eodem modo solvens auctoritates Cyrilli, Damasceni, & aliorum Patrum.

Dices 2. Existencia divina, sicut & clara cognitio sui ipsius est proprium Dei; atqui tamen istæ proprietates communicantur naturæ humanæ, salva ejus essentia: ergo & omnipotentia. Confrim. Unio hypostatica facit humanitatem Christi sanctam: ergo & omnipotentem. R. N. Conseq. Disparitas est, quod, licet omnia Dei attributa sint divinæ naturæ propria, & perfectionem infinitam importent, non omnia tamen explicent modum, quo talis perfectio est in Deo, ut sunt v. g. justitia, bonitas, exis-

tentia, &c. Undè omnia ista sunt communicabilia creaturis, scilicet analogicè, participativè, & cum diminutione. At verò omnipotentia non solum dicit perfectionem infinitam, sed etiam modum, quo talis perfectio est in Deo, scilicet infinito modo; hoc enim si absit, jam non est omnipotentia simpliciter: undè implicat eam, ut talem simpliciter, communicari creaturæ. Ad confirmationem, N. Conseq. Disparitas est, quod sanctitas consistat in eo, quod anima Deo sit conjuncta, & ipsi grata supernaturaliter; per unionem autem terminativam Verbi absque ulla informatione intelligitur humanitas conjuncta Deo, & ipsi grata. At verò non potest intelligi omnipotentia humanitati communicata, absque eò quod eam informet, non minus quàm intellectus, aut voluntas; quia principium quo operativum, vel est ipsa natura, vel forma eam constituens, vel proprietates ad eam consequens.

ARTICULUS II.

De potentia humanitatis Christi circa immutationem creaturarum.

§. I. Exponitur Articulus D. Th. qui est secundus hujus Quæst. 13.

Probat S. Doctor in hoc art. 2. Christum ut hominem non habuisse omnipotentiam respectu immutationis creaturarum, ad ejus explicationem statuit tres Conclusiones. Prima Conclusio est: Si loquamur de anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem sive naturalem, sive gratitatem, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt anime convenientes, puta ad gubernandum corpus, & ad disponendos humanos actus, & etiam ad illuminandum per gratiæ & scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab ejus perfectione deficientes, per modum quo hoc est convenientes creaturæ rationali. Quæ ultima verba diligenter advertit, ne fortè ex hac Conclusionem inferas, Christum esse causam principalem gratiæ. Hanc Conclusionem non probat S. Doct. quia constat ex natura anime, & ex dictis de gratia capitali Christi. Secunda Conclusio S. Thom. est: Si loquatur de anima Christi secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quæ in celis, sive quæ in terris sunt. Id constat ex fine, ad quem datur instrumentum. Tertia Conclusio D. Thom. Anima Christi, quatenus etiam instrumentum Verbi, non habet potentiam ad annihilationem creaturarum: quia annihilatio correspondet creationi: Et idèd, sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere; qui etiam solus eas in esse conservat, ne in nihilum decidant. Undè concludit S. Doctor: Sic ergo dicendum est, quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Difficultas itaque est valdè controversa inter Thomistas ex una parte, Scotistas & plures alios ex altera, circa 2. Conclusionem D. Thom. de qua virtute instrumentali sit intelligendus, an de morali, an de physica. Eadem quæstio movetur de causalitate Sacramentorum, ubi plura trademus, & tradunt Auctores hinc spectantia, & cum hic dicendis conferenda.

§. II. Utrum humanitas Christi sit instrumentum physicum gratiæ, miraculorum, & aliorum effectuum supernaturalium?

Suppono 1. Humanitatem Christi esse causam moralem etiam principalem gratiæ, & miraculorum, quia illa de condigno meruit. Dico: etiam principalem; quia non est alia causa meritoria assignabilis supra Christum. Suppono 2. ex Tract. de gratia, humanitatem Christi non esse causam principalem physicam gratiæ sanctificantis. Queritur ergo solum hic, utrum humanitas Christi ab executione Incarnationis fuerit nedum causa moralis, sed & instrumentalis physica gratiæ, & miraculorum, aliorumque operum supernaturalium, quæ ad finem Incarnationis conducunt. Dixi: ab executione Incarnationis; quia certum est, humanitatem Christi ante executionem Incarnationis non fuisse causam physicam, sed tantum moralem, gratiæ antequam Patribus collata, quia operari physicè supponit necessario existentiam physicam causæ.

Di-

Dico: Humanitas Christi ab Incarnatione perfecta, sive in terris degens, sive modo in celo existens, est, & fuit causa instrumentalis physica gratiæ, & miraculorum. Prob. 1. auctoritate. Luc. 6. dicitur de Christo, quod virtus de illo exibat, & sanabat omnes: & Christus de seipso Luc. 8. Novè virtutem de me exiisse: quod non videtur posse intelligi de virtute morali, quæ cum sit ens rationis, non potest dici nisi valdè improprie de corpore exire. Insuper, juxta Scripturas, Christus dedit Discipulis Spiritum S. insufflando, Lazarum suscitavit clamando, & imperando; quæ omnia non moralem, sed physicam causalitatem innuunt. Joann. 1. dicitur: Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Joann. 10. Opera, quæ ego facio, &c. ly. facere autem importat propriè causalitatem physicam. Concil. 1. Ephesinum Can. 11. definit, quod Caro Christi sit vivificatrix propter unionem ad Verbum. Non potest autem dici, quod caro Christi sit vivificatrix moralitèr, seu per modum meriti: ergo physicè. Hinc Cyrillus lib. 4. in Joann. c. 14. notat, quod Christus in suscitandis mortuis non solum verbo atque imperio uteretur, verum etiam carnem cooperatricem adhibebat, ut ostenderet, inquit, carnem quoque suam, quantum Verbo conjuncta erat, vivificans esse.

Ex his insuper sic arguo. Verba Scripturæ, Concilii & Patrum in proprio, & obvio sensu accipienda sunt, si indè nullum sequatur inconveniens; atque virtutem sanativam exire de corpore, facere operari, vivificare, esse instrumentum, & similia, quæ leguntur in Scriptura, Conciliis, & Patribus, proprio, & obvio sensu important causalitatem physicam, non moralem; nec alundè sequitur inconveniens, si sic intelligantur, ut patebit ex sol. obj. ergo. Quoad D. Thom. manifestè tradit nostram sententiam, tum supra q. 8. art. 1. ubi docet Christum duplici modo causare gratiam, & per meritum, & per efficientiam: tum hic art. 2. dicendo, humanitatem Christi non posse esse instrumentum creationis, bene tamen operationis miraculose: ubi clarum est, ipsum loqui de instrumentum physico; cum certum sit, humanitatem Christi posse esse causam moralem creationis per orationem, & meritum. Videatur insuper S. Doctor infra q. 48. art. 6. q. 49. q. 50. art. 1. art. 6. q. 61. art. 1.

Pro. ratione. Humanitati Christi est concedendum, quod nobilius, & perfectius est, si vel in se, vel fini Incarnationis non repugnat; atqui operari non solum moralitèr, sed etiam physicè effectus supernaturales, & miraculosos est quid nobilius, & perfectius, nec aliundè in se vel fini Incarnationis repugnat: ergo. Prob. Min. pro 1. parte: 1. Agere dicit perfectionem: ergo agere non solum moralitèr, sed etiam physicè dicit majorem perfectionem. 2. Concursum physicus est perfectior morali: ergo. Prob. Ant. Concursum morali non tam agit, quàm causæ actionem obtinet; concursum autem physicus verè agit, & effectum veluti e sine suo emittit: ergo. Quoad 2. partem Min. quòd talis concursum physicus non repugnet fini Incarnationis, evidens est, quòd imò conducit: nec quòd in se repugnet, etiam patet; si enim ignis inferni virtute sibi divinitus tradita in spiritualis creaturas instrumentalitèr physicè agit, quidni poterit sacra humanitas virtute divinitatis, quæ unita est, physicè concurrere ad opera supernaturalia? Id amplius patebit ex sol. obj. Confrim. Juxta Scripturam, & Patres, Christus est aliquo sensu instrumentum ad producendam gratiam, & patrandam miracula; atqui non est instrumentum morale: ergo physicum. Prob. Min. Christus est causa principalis motus horum effectuum: ergo non instrumentalis.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. D. Thom. in 3. d. 16. q. 1. art. 3. dicit expressè, nullam fuisse virtutem in Christi anima ad immutandum legem, vel cursum naturæ, sive ad patrandam miracula, nisi per modum orationis, aut intercessionis: ergo. Respondet Cajetanus, S. Thomam hic, & locis a nobis cit. retractasse hanc sententiam. Respondet Joannes a S. Thom. S. Thomam ibi loqui de causa principali miraculorum. Sed fortè melius R. ex eodem S. Thom. hic art. 3. animam Christi posse considerari duplicitèr; uno modo secundum propriam naturam, & virtutem; & hoc modo nullam habebat virtutem ad patrandam miracula, nisi per modum orationis, aut intercessionis. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona; & sic habebat virtutem nedum moralem, sed etiam physicam patrandi miracula. Primum sensum itaque intendit S. Doctor laudatus in objectione. Secundum, & locis a nobis citatis in Probatione.

Obj. 2. Omnia, quæ operata est humanitas Christi circa salutem nostram, per passionem, & mortem operata est, ut diximus supra, & docet D. Thom. infra q. 48. art. 6. Atqui mors seu passio non potest esse causa instrumentalis physica gratiæ, & miraculorum: ergo. Prob. Min. Quod non est, non potest operari physicè; atqui mors, seu passio non est nunc: ergo. R. N. Min. Ad Prob. D. Maj. Quod non est neque formalitèr, ne-

que virtualitèr, non potest operari physicè. C. quod non est formalitèr, est tamen virtualitèr, N. Similitèr, D. Min. Mors, seu passio Christi non est nunc formalitèr in se, prout est aliquis motus in fieri, C. Min. non est nunc in aliquo sensu effectus physico seu virtutis, N. Min. Remanet enim in cicatricibus ex illa relictis, & qualitibus gloriosis per illam acquisitis. Undè dicitur passio Christi operari nostram salutem physicè, quatenus humanitas Christi, per illam determinata, immutata, & modificata, salutem nostram physicè operatur; sicut pater mortuus est verè causa efficiens filii posthumi, quia agit per virtutem a se relictam, scilicet semen a se decisum.

Obj. 3. & simul Inst. Præter existentiam tres insuper requiruntur condiciones ad relationem instrumenti physici. Prima ut realitèr contingat subjectum, in quod agit; non enim potest agere in distans, v. gr. terra non facit cathedram, nisi lignum tangat. Secunda, ut habeat actionem præviàm, qua agat dispositivè ad effectum causæ principalis, aliàs non est causa, sed purum vehiculum delativum virtutis causæ principalis: sic terra scindendo lignum actione propria disponit illud ad formam cathedrae. Tertia, ut recipiat aliquam virtutem a causa principali, qua de potente reddatur intrinsecè potens. Atqui desunt hæc tres condiciones humanitati Christi ad productionem gratiæ, seu miraculorum: ergo. Prob. Min. Pro 1. parte. Humanitas Christi existens in celo non contingit homines, quos justificat in terris: nec etiam dum erat in mundo, tangebatur physicè illos, quos sola voce sanabat absentes, ut servum Centurionis, filium Reguli, &c. Prob. 2. pars Min. 1. Humanitas Christi nullam priorem dispositionem agit propria actione utpotè corporea in anima, v. gr. ad productionem gratiæ. Neque intelligibile est, quid prius duxerit tanquam dispositivum in corporibus ad effectum miraculorum. 2. Quia multa miracula fecit Christus, quæ non nisi per creationem, aut suspensionem divini concursus patrata sunt, ut cum columba in ejus Baptismo creata est, & cum ambulando super aquas denegatus est concursus corpori ad gravitandum, & aquis ad fluendum: atqui nulla creatura potest habere actionem propriam circa subjectum creationis, quod est nihilum, nec in concursum Dei, cujus actio est ipsa substantia Dei: ergo. Prob. 3. pars Min. Illa virtus derivata a causa principali in humanitatem Christi vel est spiritualis, & sic non potest recipi in carne Christi; nam quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Vel est corporea, & sic non potest elevare humanitatem ad effectus spirituales. Ergo nulla.

R. N. Min. Ad Prob. 1. partis D. Humanitas Christi existens in celo non tangit homines, quos justificat in terris, contactu suppositi, C. contactu virtutis, N. Antè & Conseq. Hoc enim sufficit ad rationem causæ physicæ, quia modò virtus causæ perveniat ad subjectum, nihil interest, quòd causa sit absens: sic sol suppositaliter distans a visceribus terræ, in ea tamèn continuè agit contactu, seu presentia virtutis, & influxus; sic magnes agit in ferrum distans ipsum attrahendo contactu virtutis, &c. Quod si ita in naturalibus, quàn tò magis in instrumentis divinæ potentis, quorum virtutem ipsa ubiqùè præsens subjectis immutandis presentem reddit?

Ad 1. Prob. 2. partis, dico, non requiri ad rationem instrumenti, quòd actione propria agat in subjectum dispositivè ad effectum causæ principalis, ex parte rei operatæ, seu quòd in subjecto aliquem priorem effectum producat, id enim proprium est tantum instrumentis causarum creaturarum, quæ illis utuntur ex indigentia; sed sufficit, quòd agat dispositivè ex parte modi operandi, hoc est, quòd habeat propriam actionem modificativam virtutis principalis in se receptæ, qua actione constituitur in ratione causæ, & non sit purum medium, seu vehiculum virtutis causæ principalis. Hanc autem propriam actionem habet, & habuit humanitas Christi respectu miraculorum gratiæ, v. gr. verbo, signo, gesto, actu voluntatis, &c. Repones: Actio propria humanitatis circa gratiæ productionem, aut miraculorum patrationem, ut plurimum fuit corporea; atqui corpus non potest agere in spiritum: ergo. R. D. Min. Corpus virtutis propria non potest, &c. C. Min. virtute causæ spiritus, maxime divinæ, N. Sic ignis corporeus Inferni cruciat Dæmones, & animas damnatorum.

Ad 2. Prob. ejusdem 2. partis dico, quod, si in aliquibus fortè miraculis contingit creatio, vel suspensio divini concursus, de his non intelligitur conclusio nostra, sed tantum de illis, ad quæ se extendere potest causalitas instrumenti. Adde, falsa esse exempla, quæ afferuntur. Nam Columba illa non fuit ex nihilo creata, sed ex præsentate aeris, velaque materia formata: similiter incensus per aquas, non ex suspensione divini concursus, sed ex virtute dicit agilitatis corporis redundare tunc permixtè proveniebat, sicut ipsa Transfiguratio ex dote claritatis.

Ad Prob. 3. partis Min. Ante solutionem notandum, varias esse Thomistarum sententias circa hanc virtutem humanitati Christi communicatam. Quidam existimant, nihil aliud esse, quàm ipsam conjunctionem humanitatis Verbo, ex qua redditur potens

tens ad omnia opera miraculosa. Ita Contenson post Asturisen- sem. Sed id nobis probari vix potest: vel enim ex ipsa conjunctione aliquid recipit intrinsecum, quo elevetur ad effectum miraculosum, vel non; si nihil, ergo remanet intrinsecus impotens; si aliquid, explicandum est, quid sit. Unde alii existimant, esse qualitatem, sed incompletam, ex natura sua fluentem, & transeuntem; quia qualitas completa permanens constitueret causam principalem, sed tamen propter dignitatem subjecti habentem modum permanentis. Nec inconveniens reputat ista sententia, quod qualitas secundum se incompleta, & transiens habeat modum permanentis; sicut secundum Philosophos non repugnat, quod qualitas permanens secundum se habeat modum transeun- tis, v. gr. scientia in Tyrone, & secundum Theologos opinio, quæ est secundum se dispositio transiens, in hæreticis habet modum permanentis; e contrario, gratia, quæ secundum se est qualitas permanens, in peccatore habet modum transeun- tis; & In- nens beatificum, quod est ex se permanens, communicatum D. Paulo habuit modum transeun- tis. Ita Paludanus, Capreolus, Ferrariensis, quos citat, & sequitur Gonet. Alii tandem volunt, illam virtutem non esse qualitatem, sed motionem Dei transeuntem elevantem humanitatem Christi ad rationem instrumenti gratiæ, & miraculorum, nec solum dantem illi actum secundum, seu applicantem virtutem ad actum, sed etiam conferentem ipsi vir- tutem activam in actu primo respectu effectus principalis agentis quia de ratione instrumenti est, quod agit in virtute principalis causæ, totam agendi vim illi conferentis; & in hoc distinguitur a Promotione physica. Ratio illorum est, quia in aliis instru- mentis naturalibus, puta serra, calamo, &c. non videtur, quod artifex qualitatem aliquam completam ponat in instrumento sed solum motionem artificiosam, quæ instrumento totam vim in actu primo, & secundo conferat ad effectum causæ principalis; licet enim, v. gr. serra per suum acumen habeat in actu primo virtutem sciendi, non tamen artificiosè sciendi: ergo, inquit, idem dicendum videtur de instrumentis divinæ poten- tiæ ad effectus supernaturales, cum gratia non destruat naturam, sed in quantum possibile est, ei sese accomodat, & eam perficit. Ita Soto, Cajet, Zumel, Cabrera, quos citat, & sequitur Joannes a S. Thom.

Nec refert, quod Character sacramentalis videatur qualitas instru- mentalis permanens est enim hoc sensu qualitas instrumentalis, quod conferat instrumento formam instrumenti, id est, quod reddat ministrum aptum, & idoneum, ut possit moveri a Deo ad actus supernaturales, sicut v. gr. acumen est forma permanens conferens securi formam instrumenti; non est tamen qualitas instrumentalis constitutiva instrumenti in ratione principii activi, sive in actu 2, sive in actu 1. respectu effectus supernatura- lis, quod est de ratione instrumenti; sicut acumen securis, licet eam constituat principium activum scissionis, non tamen scissionis artificiosæ. Nec etiam obstat in illa sententia, quod Christus quando voluerit, operatus sit miracula, juxta illud Le- prosi Matth. 8. *Domine, si vis, potes me mundare*; quod videtur importare qualitatem miraculorum effectivam permanentem. Respondetur enim in illa sententia, quod Christus operabatur miracula, quando, & quomodo volebat, non ex aliquo habitu, aut virtute permanente, sed ex assistentia divinæ potestatis, seu ex hoc quod divina potestas præstò erat Christo, ut quotiescum- que vellet, movebatur actualiter ab ipso principali agente Deo; non quidem sic, quod hæc divina potestas subderetur voluntati huma- næ Christi, sicut habitus subdantur humanæ voluntati ad opera- tiones ejus; sed e contra quod humana Christi voluntas subdere- tur divinitati in omnibus, & divinitas uteretur humanitate Chris- ti tanquam instrumento conjuncto personaliter, ita ut quæ vellet divinitas, vellet & ipsa humanitas; & hoc sensu intelligitur illud Matth. *Si vis, potes me mundare*.

Utraque hæc posterior sententia est probabilis; & juxta utram- que, R. hanc virtutem esse spirituales: & ad probat. in contra- rium, D. Virtus spiritualis completa, & permanens non potest recipi in corpore, transeat; virtus incompleta, & transiens, N. Disparitas est, quod virtus completa, & permanens est tantum propter subjectum, cui inhæret, unde debet ipsi proportionari; at e contra virtus incompleta, & transiens, licet ea parte, qua est accidens, dependeat a subjecto, quia tamen est formaliter quid viabile tendens ad aliud, debet illi potius, quam subjecto propor- tionari; via enim quatenus via utriusque termino a quo, & ad quem duntaxat commensuratur. Unde ad axioma: quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; verum est, si receptum habeat esse permanens, & completum; secus, si habeat esse transiens incomple- tum. Dixi prius: transeat Ant. Posset enim negari, quia non videtur repugnare virtutem spirituales subjectari in corpore, ex eo quod corpus natum esse obediens spiritui, non spiritus corpo- ri: sic anima rationalis etsi spiritualis subjectatur in corpore: sic virtutes morales etsi spirituales subjectantur in potentiis sensitivis anime.

Inst. Accidens spirituale, qualecumque sit permanens, aut

transiens, non potest existere existentia corporea, existentia enim debet proportionari subjecto quoad actum; atqui, si recipitur in subjecto corporeo, deberet existere existentia corporea: ergo. Prob. Ant. Accidens definitur, *Ens in alia existens*: ergo. R. N. Min. ad prob. N. Ant. ad prob. explicio definitionem. Quando igitur dicitur accidens ens in subjecto existens, non est sensus, quod propriam existentiam habeat a subjecto tanquam a principio formali, habet enim sic a propria forma: unde sine subjecto potest divinitus existere; sed sensus est, quod, cum sit debilior existen- tia, indigeat ad exercitium existendi subjecto firmante, & sus- tentante illam debilem existentiam. Porrò, si istud officium Deus in Eucharistia potest accidenti præstare sine subjecto, quare non posset per subjectum corporeum; maxime cum accidens spirituale, de quo agimus, non recipitur in corpore, quatenus corporeum formaliter, sed quatenus est ens, & substantia creata; quia in eo recipitur ratione potentie obedientialis, quæ competit rebus crea- tis sub generali ratione entis, & substantiæ creatæ. Confer diligen- ter, quæ dicam in Tract. seq. de causalitate Sacramentorum.

Obj. 4. Concil. Trid. Ses. 6. cap. 5. docet, quod nec Christi passio, nec humanitas physice efficiunt gratiam, sed solum meritoriè, seu moraliter. Ita P. Henno de Sacramentis in genere disp. 7. q. 2. art. 1. probat. 6. R. nullam hæc de re mentionem fieri in ca- pite citato. Verum est quidem, cap. 7. haberi, quod causa me- ritoria justificationis nostræ sit Christus, sed nusquam dicitur Con- ciliium, quod certa fide tenendum est, & certò constat inter Theologos; non quod inter ipsos controversetur.

ARTICULUS III.

*De Potentia anime Christi respectu proprii corporis, & ex- ecutionis suæ voluntatis.*

Postquam S. Thom. egit de potentia anime Christi circa immu- tationes aliarum rerum, agit de ejusdem potentia in ordine ad seipsum. Dico 1. (*Hic art. 3. o.*) Anima Christi secundum propriam virtutem, quæ ipsi competit, ut est anima humana, non habebat omnipotentiam immutandi proprium corpus a naturali dispositione, v. gr. non poterat secundum hanc virtutem efficere, ne corpus gravitaret, ne nutritur, ne pateretur, &c. tunc quia, ut dictum est, secundum hanc virtutem non habebat potentiam immutandi exteriora corpora a cursu, & ordine naturali: ergo nec suum: tunc quia anima secundum propriam naturam habet determi- natam proportionem ad suum corpus, ac per consequens non omnia, sed aliquid determinatum potest circa proprium corpus. Nec obstat, quod esset beata, nec enim anime beatæ habent hanc omnipotentiam. Insuper Christus non erat Beatus quoad omnia; assumperat enim corpus possibile, adeoque & corporis passibilibus conditiones. Unde, quod anime beatæ possunt sine miraculo pro- pter dotes gloriosas corporis beati, non poterat Christus sine mira- culo, quia non assumperat corpus gloriosum; & ideo incessis super mare, claritas Transfigurationis, fuerunt miracula, ut docet D. Thom. infra q. 45. art. 2.

Dico 2. (*Ibid.*) Si verò consideretur anima Christi, secundum quod est instrumentum unum Verbo, subdebat eam potestati omnis dispositio proprii corporis, excepta annihilatione, & con- servatione, ut art. præced. dictum est. Quia tamen virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei, quam anime Christi.

Dico 3. (*Ibid. art. 4. o.*) animam Christi habuisse omnipo- tentiam respectu suæ voluntatis circa ea, quæ voluit voluntate absoluta adimplenda per se, idque virtute propria; quia non conveniebat sapienter eam, ut aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subjaeceret. Circa ea autem, quæ voluit fieri per divinam virtutem, habuit omnipotentiam, non virtute propria, sed quatenus erat instrumentum divinitatis. Tandem ea, quæ voluit non voluntate absoluta, sed conditionata, aut inefficaci, non semper fuerunt adimpleta, ut patet de voluntate transferendi ab eo calicem Passionis. Sed difficultas est, an Christus voluntate absoluta voluerit aliquid per alios adimplendum, quod non fue- rit factum. Unde

Dico 4. Nihil voluit Christus voluntate absoluta, & efficaci per alios adimplendum, quod non fuit factum. Est Sylvii cum pluribus aliis contra Cajet. Joann. a S. Thom. Cabrera, &c. Probat. ex D. Thom. S. Doctor infra q. 18. art. 5. docet, vo- luntatem Christi humanam semper fuisse conformem, & quod Christus per voluntatem, quæ est per modum rationis, sem- per idem volebat quod Deus. Et q. 21. art. 4. dicit, quod Chris- tus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle. Unde conclu- dit: *Et ideo omnis absoluta voluntas Christi etiam humana im- pleta fuit, quia fuit Deo conformis.* Prob. Ratione. Imprudentiæ est velle voluntate absoluta, & efficaci id, quod certò constat non esse futurum; atqui Christus scientia beata certò sciebat omnia futura, ut diximus: ergo non voluit absolute, & efficaciter id, quod

quod non erat, sive per se, sive per alios, faciendum. Patet Conseq. quia a Christo removenda est omnis imprudentiæ libes.

Dices 1. Marc. 7. dicitur de Christo, quod *Ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere*: ergo. R. hoc non de voluntate absoluta, sed conditionata, seu inefficaci esse intel- ligenda, ita ut sensus sit, Christum se gesuisse exterius, sicut qui latere volunt, se scilicet subducendo, sed tamen per illam subductionem non potuisse latere, licet aliundè potuerit, si absolute voluisset. Nec ullum ibi reperitur mendacium, quia id faciebat non animo fallendi; sed nos instruendi de fugienda am- bitione, & vana gloria.

Inst. Agatho Papa circa præfata verba in Ep. quæ refertur in 6. Synodo act. 4. & quæ recepta est act. 8. sic ait: *Ergo ne ille hominum Conditor, ac Redemptor in terris latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam ejus voluntatem, quam temporaliter*

est dignatus assumere, redigatur? Atqui hæc verba non possunt intelligi de voluntate conditionata, & antecedente, ergo. Prob. Min. Pontifex his verbis intendit probare, præter voluntatem divinam in Christo esse humanam ex eo, quod voluntas di- vina semper impletur, & non humana; atqui, si intelligatur de voluntate humana Christi conditionata, & antecedente, id non probat, siquidem voluntas Dei antecedens, & conditionata non etiam semper impletur: ergo. R. N. Min. Ad probat. N. Maj. Intendit enim probare Pontifex, præter voluntatem divi- nam in Christo esse humanam, non ex ratione allata, sed ex eo quod Christus humana voluntate, equidem conditionali, & antecedente, voluerit aliquid, quod non poterit propria sua humanitatis virtute consequi, cum tamen Deus nihil velit etiam voluntate antecedente & inefficaci, quod non possit per seipsum implere.

DISSERTATIO XIV.

DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS A FILIO DEI.

Div. Thom. Quæst. 14.

ARTICULUS I.

*Utrum conveniens, an etiam necessarium fuerit corpus Christi subiacere defectibus?*

Dico 1. (*Hic q. 14. art. 1. o.*) Conveniens fuit, corpus Chris- ti subiacere defectibus propter tria: 1. Ut pro nobis satisfacere 2. Ut veritatem humanæ naturæ comprobaret 3. Ut no- bis fieret exemplum virtutis. Est contra Hæreticos qui dicitur sunt Phantasiæ & Apharhodocetæ, qui, auctore Juliano Hælicar- nasso, circa ann. 476. dogmatizabant; corpus Christi fuisse incor- ruptibile etiam ante Resurrectionem. In quem errorem impigit Justinianus Imperator sub finem vite, qui ideo Euthychium Pa- triarcham contrarium sententiam exulare jussit. Quam hæresim ultra rationem D. Thom. impugnant omnium Sacræ Scripturæ tes- timonia, quæ Christum currisse, defatigatum, passum, mor- tuum probant. Hanc etiam impugnant Justinus Mart. Atha- nas. Basil. Nyssenus, Chrysost. &c.

Dices contra 1. rationem D. Thom. Si Christus corporis nos- tri defectus assumpsit, ut pro nobis satisfaceret, sequitur, quod etiam poenas inferni sustineret; eas enim promeriti eramus: Ità quidem censuit, & blasphemavit Calvinus. R. N. Sequelam; non enim requiritur ad satisfactionem pro peccato alterius, ut om- nem poenam ipsi debitam alter sustineat, sed sufficit, quod red- dat æquivalent, quod & ultra fecit Christus. Et sanè, si valeat consequentia Calvinii, sequeretur Christum debuisse in æternum sufferere poenas inferni; & eis enim in æternum promeriti sumus.

Dices 2. S. Hilarius Pictaviensis l. 10. de Trinit. ait: *Virtus corporis sine sensu panem vim panem in se deservientis excepit.* Glo- mo: Alex. l. 6. Strom. c. 6. ait de Christo: *Ipsæ autem, ut semel dicam, impassibilis erat.* Hieron. in c. 26. Matth. ait, *Erubescant, qui putant Salvatorem timuisse mortem, & Passionis pavore dixisse: Pater, si fieri potest &c.* ergo. R. ad Hilarium, S. Thom. conari q. seq. art. 5. ad 1. cum sano sensu explicare dicendo, quod Hilarius a carne Christi non veritatem doloris, sed neces- sitatem excludere intendat, accipiendo necessitatem per compa- rationem ad causam primam horum defectuum, quæ est pecca- tum. S. Bonaventura in 3. dist. 10. art. 1. q. 1. narrat, se au- divisse Guillelmum Parisiensem discentem, se legisse librum, in quo Hilarius se retractavit: quamvis eum conetur exponere di- cendo, quod loquatur de divinitate ipsa. Ceterum, si non fal- sò, saltem valde obscure hac in re videtur locutus Hilarius. Un- de, & in margine sæpe notatur, quod caute sit legendus, & Bel- larminus, & Vasques aperit fatetur, ipsius verba non posse sano sensu explicari. Ad Clementem Alex. R. ejus opera inter apo- crypha recenseri a Gelasio Papa in Concil. Romano, & in illis multas reperiri propositiones erroneas sapientes. Sylvius q. seq. art. 5. ipsam explicat ut Hilarium, de necessitate patendi. Ad Hieron. R. ipsum a Christo exclusisse timorem non absolute, sed cum animi turbatione.

Dico 2. (*Ibid. art. 2. o.*) Respective ad voluntatem divinam in Christo, aut voluntatem humanam deliberatam, illi defectus fuerant Christo voluntariè objective; tunc quia eos voluntariè secundum duplicem hanc voluntatem accepit; tunc quia po- terat illos impedire, si voluisset. Respective autem ad ipsam naturam assumptam in Christo illi defectus erant necessarii, quia sequabantur ex ejus principii: naturam enim ejusdem condi- tionis, non cum natura Adæ innocentiis, sed cum nostra, as- sumpsit, juxta illud ad Rom. 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*; id est, habentem corpus ejusdem conditionis, cuius est caro peccatrix. Unde

Dico 3. (*Ibid. art. 3. o.*) Curisus non contraxit hos defectus sicuti nos ex debito peccati, quo caruit; sed voluntariè eos Theol. Billuart. Pars Tertia.

est dignatus assumere, redigatur? Atqui hæc verba non possunt intelligi de voluntate conditionata, & antecedente, ergo. Prob. Min. Pontifex his verbis intendit probare, præter voluntatem divinam in Christo esse humanam ex eo, quod voluntas di- vina semper impletur, & non humana; atqui, si intelligatur de voluntate humana Christi conditionata, & antecedente, id non probat, siquidem voluntas Dei antecedens, & conditionata non etiam semper impletur: ergo. R. N. Min. Ad probat. N. Maj. Intendit enim probare Pontifex, præter voluntatem divi- nam in Christo esse humanam, non ex ratione allata, sed ex eo quod Christus humana voluntate, equidem conditionali, & antecedente, voluerit aliquid, quod non poterit propria sua humanitatis virtute consequi, cum tamen Deus nihil velit etiam voluntate antecedente & inefficaci, quod non possit per seipsum implere.

est dignatus assumere, redigatur? Atqui hæc verba non possunt intelligi de voluntate conditionata, & antecedente, ergo. Prob. Min. Pontifex his verbis intendit probare, præter voluntatem divinam in Christo esse humanam ex eo, quod voluntas di- vina semper impletur, & non humana; atqui, si intelligatur de voluntate humana Christi conditionata, & antecedente, id non probat, siquidem voluntas Dei antecedens, & conditionata non etiam semper impletur: ergo. R. N. Min. Ad probat. N. Maj. Intendit enim probare Pontifex, præter voluntatem divi- nam in Christo esse humanam, non ex ratione allata, sed ex eo quod Christus humana voluntate, equidem conditionali, & antecedente, voluerit aliquid, quod non poterit propria sua humanitatis virtute consequi, cum tamen Deus nihil velit etiam voluntate antecedente & inefficaci, quod non possit per seipsum implere.

ARTICULUS II.

*Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumpsit?*

Dico (*Ibid. art. 4. o.*) Christus non assumpsit omnes defec- tus corporales hominum. Prob. (*Ibid.*) Christus assump- sit defectus humanos præcisè ad satisfaciendum pro peccato huma- næ naturæ: ergo illos tantum defectus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ humanæ, nec satisfaciendi, seu fini Incarnationis repugnant. Patet Conseq. Quia satisfactio, quæ poenalis est, debet respondere culpæ: ergo cul- pæ communi poena communis

Hinc inferes 1. (*Ibid.*) Christum assumpsisse famem, sitim, de fatigationem, mortem, &c. quia hi omnibus hominibus, seu toti naturæ conveniunt communiter ex peccato communi primi hominis. Inferes 2. Christum, non assumpsisse lepram, febrem, excitatem, claudicationem, aut quemvis alium morbum; quia hi defectus non consequuntur totam naturam immediate propter peccatum primi parentis, sed causantur in aliquibus hominibus propter duas causas particulares, & personales, scilicet vel propter exorbitantes passiones, potus, victusve excessum, vel propter defectus virtutis formativæ. Quod si aliquando videantur cau- sari ex intemperie, aut infectione aëris, id semper refunditur in defectum virtutis formativæ; quæ si perfecta foret, qualis fuit in Christo ex Spiritu S. illis posset resistere. Inferes 3. (*Ibid.*) Christum non assumpsisse ignorantiam, pronitatem ad malum, & difficultatem ab bonum, etiam quatenus hi defectus origi- nantur a corpore (sub qua ratione hic considerantur ab Auc- tore) quia repugnant officio satisfaciendi, & redimendi, quod est finis Incarnationis.

Dices 1. Christus posuit senescere, ac tandem ex senio mori, etiam si nullus eum interfecisset; atqui secundum plures Medicos nemo mori potest absque febris, aut aliqua putrefac- tione: ergo. R. 1. ad Min. Equè esse probabilem aliorum Medi- corum sententiam, asserentium mortem posse accidere sine morbo ex solo defectu caloris naturalis, & humiditatis radicalis. R. 2. nos removere a Christo morbos, qui particularibus accident ex causis specialibus assignatis, non illum, qui toti naturæ com- munis esset ratione mortis.

Dices 2. Christus assumpsit mortem: ergo a fortiori morbos, R. N. Conseq. Quia mors sequitur communiter naturam, sive unde spectatam, sive peccato corruptam, non autem morbis, qui proveniunt, vel ex excessu, vel ex defectu individuali.

Repones: Morbi sequuntur etiam naturam peccato corrup- tam, seu ratione peccati; sic, si Adam non peccasset, absque morbo vixissemus: ergo. R. D. Ant. Morbi sequuntur naturam peccato corruptam immediate, N. Ant. mediantibus causis assignatis, C. unde non videntur in omnibus: secus mors, fames &c.

Dices 3. Isa. 53. dicitur de Christo: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, &c.* ergo. R. sensum horum verborum esse, quod Christus in passione tulerit poenas peccatis nostris debitas, propter quas quasi leprosus videbatur; seu quod Judæi ab ipso quasi a leproso abhorrebant.

Dices 4. Christus assumpsit deformitatem corporis, juxta illud Isa. 53. *Non est species ei, neque decor. & quasi abscon-*

tas vultus eius, & despectus: ergo. R. N. Ant. Et ad auctoritatem Isaie dico, eam esse intelligendam non de constanti corporis Christi habitudine, nec de nativa ejus oris specie, sed de Passionis illius tempore, dum nec de nativa ejus oris specie, sed de Passionis illius tempore, dum nec de nativa ejus oris specie, sed de Passionis illius tempore...

Utrum autem e contra fuerit Christus specie excellenter liberali, vultuque insigniter venusto & egregio, non constat. Illud enim Ps. 44. Speciosus forma pro filiis hominum, cui quidam Theologi cum vulgo innotuit, intelligunt communiter Patres de pulchritudine animæ. Sic Basil. Alex. Theodoret. Irenæus, Aug. &c. Et quidem verè, cum dicatur. Speciosus forma pro filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus

DISSERTATIO XV.

DE DEFECTIBUS ANIMÆ A CHRISTO ASSUMPTIS, UBI DE EJUS IMPECCABILITATE.

D. Thom. Quæst. 15.

ARTICULUS I.

Utrum in Christo fuerit, potueritque esse peccatum?

Dico 1. (Hic q. 15. art. 1. o.) In Christo nullum fuit peccatum, sive actuale, sive originale. Est de fide. Quoad originale patet ex illo Luc. 1. Spiritus S. supervenit in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Idèque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ubi etiam insinuat ratio Conclusionis; quia Christus non descendit ab Adam per seminale propagationem. Adde, quod ab instanti Conceptionis fuit plenus gratia, veritate, ac beatitudine, quibuscum repugnat Peccatum Originale. Quoad actuale ultra jam dicta constat etiam ex Scriptura Joann. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? Petr. 2. 1. Qui peccatum non fecit. Ad Hebr. 7. Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.

Prob. (Ibid.) utraque pars ratione. Christus suscepit defec-tuos nostros triplici de causa. 1. ut pro nobis satisfaceret. 2. ut veritatem humanæ naturæ comprobaret. 3. ut feret exemplum virtutis; atqui ad hanc triplicem finem non modò peccatum non conducebat, sed potius oberat: ergo. Prob. Min. Peccatum 1. nihil operatur ad sanctificationem, sed potius eam impedit; etenim Dona iniquorum non probat Altissimus, Eccli. 34. 2. Peccatum non demonstrat veritatem naturæ humanæ, cum sit contra illam, rationem nempe evertens, & Angeli mali peccaverint & peccent. 3. Peccatum non est in exemplum virtutis, cum sit ipsi contrarium: ergo.

Dices 1. Christus fuit in Adam: unde dicitur Rom. 1. Factus ex semine David: ergo contraxit peccatum originale; unde & illius remedium assumpsit, scilicet Circumcisionem. R. D. Ant. (Ibid. ad 2.) Christus fuit in Adam secundum corpulentam substantiam, C. secundum seminalem rationem, N. Undè dicitur factus ex semine David materialiter, quia assumpsit carnem ex Virgine, quæ descendit ex David via seminali, non tamen formaliter: seu active: assumpsit autem remedium non ut eo indigens, sed ut humilitatis exemplum nobis præberet. Insuper dato, Christum fuisse ab Adamo secundum seminale propagationem, nihilominus in eo nec fuisset, nec esse potuisset peccatum originale, utpotè repugnans nedum gratiæ habituali & beatitudini, quibus ab instanti Conceptionis fuit ornatus, sed etiam ipsi gratiæ substantiali unionis.

Dices 2. Christus moriens erupit, si non in motus desperationis, saltem in verba desperationis, dicendo: Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth. 27. Et in hortu inordinatè oravit, dicens: Pater, si possibile est, transat a me Calix iste. Ità impius Calvinus in harmonia ad prædictum caput. R. priora verba non esse desperantis, sed naturæ maximum dolorem patientis. Et certè ille non desperat, qui jam beatitudinem est assecutus, certusque est, eam fore porportuam; nec est impatiens, qui ex charitate liberrimè patitur. Posteriora verba sunt voluntatis sensualitatis, seu conditionate, non voluntatis rationis, & absolutæ.

Dices 3. 2. ad Cor. 5. Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Ps. 21. Longè a salute mea verba delictorum meorum: & sic plures alibi: ergo. R. (Ibid. ad 4.) sensum priorum verborum esse, quod Pater æternus fecerit Christum pro nobis peccatum, id est, hostiam pro peccatis nostris: sicut Osæ 4.

in æternum; quis credit, idè Christum a Patre benedictum ob egregiam vultus formam? Neque repugnare censendi sunt Hieron. Chrysost. &c. dum in vultu Christi agnoscent fulgorem, ac majestatem. Non enim de nativa vultus ejus pulchritudine loquuntur, sed de quibusdam divinis ac prodigialibus signis, in ejus facie interdum relucens, quibus v. gr. Petrum traxit ad poenitentiam; quo tamen tempore nemo est, qui Christi faciem, totumque corpus ejus vulneribus, & verberibus deformatum non fateatur. Vel de adventitia ac transitoria venustate loquuntur, qualis fuit in Stephano protomartyre, Act. 6.

Quapropter inter duas extremas sententias, mediam tenentes viam, existimamus dicendum, speciem externam corporis Christi non fuisse insigniter venustam, neque insigniter deformem, ut spectantium oculos sola, vel raperet, vel offenderet, sed pulchram mediocriter, ut potè statui suo convenientem. Ità D. Thom. in Ps. 44. his verbis: Pulchritudinem Christus habuit, secundum quod competeat ad statum, & reverentiam suæ conditionis. Non est ergo intelligendum, quod Christus haberit capillos flavos, vel fuerit rubens, quia hoc non decuit eum. Et in c. 53. Isa. Christus non erat aspectus magnificus, secundum quod dicitur quod species Priami di gna est imperio.

~~~~~

dicitur: Peccata populi mei comedit, scilicet Sacerdotes, id est, hostias pro peccato oblatas. Ad posteriora verba, & alia similia, (Ibid. ad 1.) R. Christum peccata nostra vocare sua; quia loquitur in persona membrorum, quorum est caput, vel quia susceptus illa diluenda, quasi propria forent.

Dico 2. Christus de lege Dei ordinaria erat impeccabilis: Pater ex dictis; quia per gratiam unionis infinitè sanctificabatur, habebat plenitudinem, gratiæ & beatitudinem; quibus omnibus saltem de lege Dei ordinaria repugnat peccatum. Id etiam evincitur ex ratione D. Thom. superiori Concl. adducta.

Hec omnia constant inter Theologos Catholicos. Sed gravissima restat difficultas: an etiam de potentia Dei absoluta Christus, ut homo sit impeccabilis? Non hoc sensu, quod Deus conferat vires ad peccandum, ut præpostere somnavit Vasquez, sed hoc sensu, si Deus per potentiam absolutam a Christo removeret gratiam habituales, & visionem beatificam, an præcisè vi gratiæ unionis Christus, ut homo, sit impeccabilis, peccato non solum cum unione composito, sed etiam peccato unionem destruente: Negant Scotistæ cum suo Duce, & Durando, quorum sententiam quidam gravissimis stringunt censuris, a quibus abstinemus; quia, quod Ecclesia non damnat, nec nos damnamus: tamen pro sententia, quæ est communis Thomistis, & aliis Theologis, sit

ARTICULUS II.

Utrum Christus, ut homo vi præcisè gratiæ unionis sit impeccabilis.

Dico. Christus, ut homo vi præcisè gratiæ unionis peccare absolutè non potuit, sive peccato cum unione composito. sive peccato unionem destruente. Prob. 1. auctoritate Patrum, Hilarius l. 10. de Trinit. circa medium dicit, Christum non potuisse peccare, dum Christus est; eò quòd qui Christus est, non potuit amittere, quod Christus est. Anselm. l. 2. Cur homo Deus, c. 10. dicit de Christo: In quo peccatum esse non poterat, quia Deus erat. Rupertus libr. de voluntate Dei c. 10. dicit, quòd humanitas Christi, non per creationem, sed per assumptionem facta est creatura talis, quæ peccare non solum non potest, verum etiam non posset. Aug. in Enchirid. c. 40. & alibi docet, Christum esse impeccabilem per illam gratiam, qua a principio factus est homo Christus. Dionysius Alex. in Ep. contra Paulum Samosat dicit, quòd, Si Christus non esset Deus, non esset alienus a potestate peccandi: ergo.

Dices cum Henno, SS. Patres ita loquentes fuisse, non quia unio hypostatica sit essentialiter impossibilis secundum se cum peccato, aut sit ratio formalis impeccabilitatis in Christo, sed quia ratione illius Christo debentur gratia, & visio beatificæ; ratione quorum est formaliter proximè impeccabilis. Sed contra 1. Secundum hanc solutionem sequitur, quod, si Christus non esset beatus, quod est absolutè possibile, etiam secundum Scotistas, foret peccabilis; atqui hoc est directè contra omnia Patrum citata dicta, foret enim tunc adhuc Christus & Deus, idè autem secundum illos est impeccabilis, quia est Christus; & Deus. Contra 2. Secundum hanc solutionem, si Christus non esset Deus, & esset tamen beatus; ut contingit in Angelis, & Beatis, foret impeccabilis; atqui hoc expressè negat Dionysius Alex. cit. ergo. Contra 3. Idè secundum Damascenum l. 3. de

de fide c. 19. & 20. & Synodum 6. generalem act. 8. & 11. actiones Dei non possunt esse peccata, quia sunt Theandricæ, id est, Dei viriles; atqui ex vi præcisè unionis hypostaticæ, & seclusis aliis, habent quòd sint Theandricæ: ergo. Et sanè mirum foret, quòd sancti Patres nunquam citassent beatitudinem in Christo, tanquam causam veram ejus impeccabilitatis, si hæc sit sola causa illius, & semper citassent unionem hypostaticam, tanquam veram causam, quæ reverè non est causa secundum Scotistas.

Prob. ratione Si humanitas assumpta, & subsistens per divinum suppositum Verbi posset peccare, peccatum refundetur in ipsum Verbum; atqui Consequens est blasphemum, & repugnans fidei: ergo præcisè vi unionis, &c. Prob. Sequela Maj. duplici medio. 1. Actiones sunt suppositorum, non solum denominativè, ut volunt Scotistæ cum Vasquesio, sed etiam elicitivè: ergo. Prob. Ant. 1. Ex Concilio Florentino, ubi Joannes Theologus ex Ordine Predicatorum sess. 18. probat ex illo axioma, essentiam divinam non generare, sed Patrem ratione essentia; atqui Pater non denominativè tantum, sed & elicitivè generat ut quod, mediante essentia, ut principio quo, alias generans non distingueretur a generato: ergo. Nec valet, si dicas cum Henno, id esse verum in divinis, non tamen in humanis. Contrà est enim, quòd Joannes Theologus afferat istud axioma ut commune, just a omnium Philosophorum Scholam, Sess. 19. idque assentientibus Latinis & Græcis, ac toto Concilio, adfertque exemplum de Jacob generante Joseph.

Repones cum eodem, id quidem esse rationem definitionis, non tamen definitionem Concilii. Potest autem esse falsa ratio definitionis, etsi vera sit definitio, ut patet ex 7. Synodo, ubi quidam ex Patribus, ut probaret Angelos posse depingi, assumpsit principium falsum, eos scilicet esse corporeos. Sed contra. Etsi verum sit, hoc principium esse tantum rationem definitionis, adeoque non esse de fide, maxime tamen est auctoritas, utpote quòd probatur suo assensu omnes Patres Latini, & quo convicti fuere Græci. Undè sine urgenti ratione, vel nisi aliquod sequatur absurdum, illud negare, temeritate videtur non vacare.

Prob. 2. idem Ant. Si actiones Christi non sint suppositi divini elicitivè, ut principii quòd, sequitur, quòd ejus actiones meritorie nullum valorem a supposito divino hauriant; quòd non erunt Theandricæ; quòd Verbum non aliter concurrat ad actiones humanitatis, quam Pater aut Spiritus S. quòd Verbum in humanitate subsistens pro nobis verè non meruerit, satisfecit, redemerit: quæ omnia videntur evertere veritatem nostri mysterii: ergo.

3. Licet Personalitas, seu substantia non sit operativa, suppositum tamen, quod ex illa, & natura exurgit, v. gr. Petrus, est reverè id, quòd agit, quòd loquitur, quòd ambulat, quòd generat, mediante natura, & potentis ut principii quo: hic est communis hominum sensus. Et sanè, si id cogatur admittere Scotistæ in divinis, quare non in humanis? Quare non in Christo, cujus suppositum est divinum? Ceterum dato, actiones esse suppositorum denominativè tantum, non idè evadunt Scotistæ: quia ex hoc saltem sequitur, quòd suppositum divinum posset denominari peccans & Deus peccator, eque propriè ac suppositum Petri, Petro peccante, dicitur peccator & peccans; sicut enim ista propositio, Verbum ut subsistens in humanitate nos redemit, pro nobis meruit, pro nobis satisfecit, est. verè in proprietate, & rigore sermonis, licet secundum Scotistas actiones sint suppositorum denominativè tantum; ità & ista, Verbum ut subsistens in humanitate peccat, humanitate peccante: quòd sanè pius aures offendit, & negant SS. Patres: Nec refert, quòd Deus possit dici crucifixus, mortuus, &c. sine indecentia; quia, ut advertit S. Thom. sup. q. 1. art. 2. ad 3. mors & similia sunt malum pœnæ a justitia Dei introductum, & ad ejus gloriam ordinatum. Peccatum autem est indecentia moralis, eò quòd sit recessus à divina bonitate, sapientia, & aliis regulis.

Prob. prima Sequela 2. medio. Humanitas regitur, movetur, & gubernatur à Verbo in omnibus operibus suis, non solum tanquam à causa generali (sub qua ratione omnia gubernat) sed ut à causa speciali movente, & dirigente, sicut anima regit corpus, sicut ratio regit appetitum inferiorem: ergo peccare non potest humanitas, quia ejus peccatum refundatur in Rectoris Verbi vel inferioritatem, vel malitiam; sicut, dum excedit appetitus in motibus voluntariis, accusatur ratio non cohibens: dum peccat subditus, culpatur etiam annuens Prælatum: ita ut in hoc casu duo forent peccata in Christo, unum voluntatis humanæ malum operantis, aliud divinæ malum permittentis. Prob. Ant. Quando duo uniantur, maxime si uniantur in natura, vel persona, inferior subordinatur superiori, consequenter & ab ipso regitur, vel saltem illi incumbit specialis obligatio regendi, alias esset ordo præposterus: quia potentia inferiores ab intellectu, & voluntate reguntur: sic membra subsunt capitis regimini: item in civilibus, sic uxor a viro, liberi a Parentibus, famuli Theol. Billuart. Pars Tertia.

ab heris reguntur & gubernantur: atqui natura divina unitor in una Verbi persona cum humana natura, & vi hujus unionis humana subordinatur divinæ, tanquam inferiori superiori: ergo. Confirm. Conclusio duplici alia ratione. Humanitas Verbi vi præcisè unionis hypostaticæ est sancta sanctitate substantiali, & infinita, atque intimè, ac immobiliter unitor regulæ rectæ operationis; atqui sanctitas infinita excludit nedum omne peccatum, sed etiam potentiam peccandi, quia quò major est sanctitas, eò magis elongatur a peccato, & quòd conjungitur immobiliter regulæ rectæ operationis, non potest ab ea deviare, seu recedere; quòd fit per peccatum: ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Non minus repugnat Verbo mors, quam peccatum; sicut enim est sanctitas per essentiam, ità est vita assumpta, & denominari mortuum: ergo & peccare, & denominare peccans. R. D. Maj. Non minus repugnat Verbo mors in propria natura, quam peccatum, C. in alia natura, N. Et concessa Min. N. Conseq. Ratio solutionis, & disparitatis est, quòd ut prius dicebam ex D. Thom. mors sit malum physicum tantum, ordinabile ad Deum, & ad ejus gloriam. Undè nulla est repugnantia, quòd causetur a Deo, seu ab eo toleretur, non quidem in natura propria, quia est vita per essentiam, sed in aliena natura; nec ulla indecentia, quòd in ea denominetur mortuus. At verò peccatum est malum morale, nullatenus a Deo non referibile, sed est ipsamet aversio & recessus a Deo: unde ab ipso causari repugnat, sive in natura propria, sive in aliena.

Obj. 2. Humanitas Christi est creata ex nihilo; atqui omnis creatura ex nihilo producta est ab intrinseco & essentialiter defectibilis: ergo humanitas Christi est ab intrinseco & essentialiter peccabilis. R. D. Conseq. Humanitas Christi est ab intrinseco, & essentialiter peccabilis, peccabilitate, seu potentia peccandi remota, & impedita, C. Conseq. peccabilitate, seu potentia peccandi proxima & expedita; N. Conseq. Igitur potentia proxima & expedita peccandi non solum importat rationem creaturæ factæ ex nihilo, neque solam entitatem voluntatis creatæ, sed & concursum ad malum, negationem assistentia specialis ad bonum, & remotionem omnis alterius impedimenti, quale est nedum visio beatifica in Christo, sed & gratia unionis, ut probatum est. Et quia peccabilitas simpliciter dicta importat potentiam peccandi proximam, & expeditam, idè dicendum est, Christum esse simpliciter impeccabilem, & quidem ab intrinseco: non quidem hoc sensu, quòd ex se, & ex essentialibus id habeat, sed per gratiam unionis sibi intrinsecam, & suppositum ipsam intrinsecè sustentans, regens, ac gubernans.

Inst. 2. Humanitas Christi non obstante gratia unionis est libera; acqui ad libertatem requiritur potentia proxima ad malum & bonum: ergo R. N. Min. ad libertatem enim non requiritur indifferentia contrarietatis ad bonum & malum, ut patet in Deo, sed sufficit libertatis, seu indifferentia contradictionis ad hoc bonum eligendum, vel non eligendum.

Inst. 3. Indifferentia contrarietatis, seu specificationis est modus connaturalis, & intrinsecus operandi creaturæ humanæ; atqui substantia Verbi ipsi unita non mutat modum ejus operandi intrinsecum, & connaturalem: ergo Prob. Min. Substantia Verbi ipsi unita, non est ipsi principium operandi, sed purus terminus: ergo. R. N. Min. Ad probat. D. Ant. Substantia Verbi unita humanitati non est ipsi principium quo operandi, C. non est ipsius principii quo complemeatam constituentis principium quod, N. Undè fit, quòd illam in ratione operative immutat, non quidem positivè illam elevando ad altiores operationes, nec illam determinando ad exercitium, sed impediendo, nec peccat, adeoque eam determinando quoad specificationem.

Inst. 5. Christus habuit libertatem, seu potentiam contrarietatis ad bonum & malum: ergo. Prob. Ant. Christus poterat non obedire præcepto Patris de morte subeunda; atqui non obedire est peccatum, & malum: ergo. Patet Maj. Quia liberè obedit, & obediendo meruit. R. N. Ant ad probat. D. Maj. Si ly non obedire sumatur privatè pro privatione observationis præcepti, quòd debet observari, N. Maj. Si ly non obedire sumatur negativè pro sola negatione actus, seu observationis præcepti, quòd non extat, nec debet observari (de eo enim, cui nullum est præceptum impositum, etiam verè dicimus, quòd præceptum non implet) C. Maj. sed non obedire hoc sensu non est peccatum: unde, N. Conseq. De Hoc argumento fusiùs infra, dum de libertate Christi.

Inst. 4. Christus ut homo potest peccare, si vult: ergo potest absolutè peccare, Pater Conseq. Ex hoc enim quòd homo possit ambulare, si vult, benè sequitur: ergo potest absolutè ambulare. R. N. Conseq. ad probat. Disparitas est, quòd homo possit velle ambulare; Christus autem ut homo non possit velle peccare.

Obj. 3. Verbum potest permittere peccatum humanitatis assumptæ; atqui posita illa permissione, humanitas peccare potest: ergo. Prob. Ant. Permissio peccati non est intrinsecè mal.